



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Expositio Cavsarvm Quibus S. R. M. Sveciae bellum à
Rege Regnoque Daniae sibi illatum, etiam post Pacem
Roschildiae initam, continuare coacta fuit**

Coyet, Peter Julius

[S.l.], 1658

Secretarii Barsaenii narratio prior, continens, quid Hamburgo
Glückstadium missus, ob Carloffii arrestum affecerit.

urn:nbn:de:hbz:466:1-10534

cedendi, quemadmodum isthæc omnia literæ pignoris, & affecutoria
pluribus comprehendunt & edocent.

Lit. TT.

Secretarii Barsæni narratio prior, continens, quid
Hamburgo Glückstadium missus, ob Carloffiar-
restum affecerit.

Jussu Sac. Reg. Maj. Sueciæ Residentis Dom. Vincentii Möller die no-
na Junii Hamburgo discessi, quæ eadem die Glückstadium veni. Sed
quoniam multa vespera inclinabat, sequenti die decima Junii ad Dn.
Cancellarium Reinkingium me contuli, & oblatis, quæ ad Consilium
Status ibidem spectabant literis meis Credentialibus in hanc sententiam
locutus sum: Notum satis esse, S. R. M. Sueciæ subditum, Nobilem Suedi-
cum, Henricum Carloffium, Socium olim atq; Condirectorem Societatis
Suecorum Africanæ, non solum Castella & Munimenta Suedica in littori-
bus Guineæ nefariè occupasse, sed & Governatorem ibidem Crusenster-
nium cum aliquam multis aliis captivum abduxisse, & laudatæ Societatis
Africanæ naves cum ingenti auri parte, aliisque pretiosis mercibus rapuisse, &
cum iis Glückstadium ad Albim fluvium appulisse. Cum autem universum
hoc negotium S. R. M. Sueciæ principaliter concernat, supradictum Dn.
Residentem suarum partium duxisse, me huc ablegare, & quam instantissi-
me petere, vellent Carloffium istum una cum omnibus tecum adductis na-
vibus & mercibus interea temporis asservare & arresto subijcere, quò, juxta
tenorem Pactorum inter Septentrionales Reges Roschildiæ nuper inito-
rum, bona ista ab alienata & Societati surrepta eò melius recuperari & resti-
tui queant. Cum etiam fama sit, Carloffium castella ista Guineensia jam
dum aliis tradidisse, ut eorundem recuperatio, si res ita se haberet, multorum
millium impensas postulatura sit, utiq; necessariò requiri, ut præprimis ipse
met Carloffius custodiatur & arresto arctiori detineatur, ne in maximum
S. R. M. Sueciæ præjudicium fuga se subtrahere, navesq; & merces clancu-
lum auferre & hinc abducere queat. In simul relaxationem captivorum &
ablatorum restitutionem enixissime postulari & contendere, præsertim cum
periculū heic in mora sit, & Carloffius cum navibus & bonis facillimè elabi
possit. Ad hæc Dominus Cancellarius respondebat, Consilium Status quidē
ejusmodi res, excluso Domino Governatore, hætenus expediendas non su-
scipisse, quia tamen literæ Credentiales ad Consilium spectarent, velle se per
Generalem Auditorem & Secretarium Regium Schneidebachium Domino
Campi-Mareschallo Generali Ebersteinio quid a me propositum significa-
re, quo me ipsum etiam conferre, & responsū expectare deberem. Pro qui-
bus omnibus decentes egi gratias, & excusavi, literas Credentiales non si-

mul ad Dn. Ebersteinium directas, eò quod nesciverit Dn. Residens, ipsum hodie heic esse. A meridie itaque Dn. Generalé Campi. Marefchallum adii & præsente Dn. Colonello Lützdovio aliisq; in eandem sententiam, ut apud Dn. Cancellarium locutus sum, ubi hoc responsum obtinui, se ad narrationem Schneidebachii jam dum mandasse, ut ambæ naves una cum impositis mercibus ad tutiorem custodiam in portum deducerentur, concessisse etiam Dn. Crusensternio aliisque captivis, ut pro lubitu sibi in urbe hospitium eligerent, & per dies aliquotibi permanerent, donec à S. R. M. Daniæ ad literas quas ob istam rem scripsisset, responsum acciperet. Quod verò Carloffium ipsum attineret, cum ipsius expeditio nomine S. R. M. Daniæ suscepta & peracta sit, dubitare se, utrum arcto propterea gravari possit. Et cum ego regererem, quod subditus & nobilis Suedicus esset, & communem præterea Hamburgi famam circumferri, Carloffium munimenta ista Guineensia jam dum aliis tradidisse, juxta vigorem verò Instrumenti Pacis omnia restituenda, utique majorem Carloffii rationem habendam, ipsumque diligenter custodiendum; Dominus Campi-Marefchallus Locumtenentem Bremæ ad se vocari jussit, eique injunxit, ut de Carloffio diligenter inquireret, & inventum statim intimaret. His peractis post debitam gratiarum actionem die 11. Jun. Glückstadio discessi & eadem Hamburgum sum reversus, ubi quæ Domino Residenti oterenus exposueram, scripto consignare jussus sum. Hamburgi d. 12. Jun. Anno. 1658.

Georgius Barfænius
Capit. Hamburg. Secet.

Altera Barfæni narratio, cum eodem negotio iterum
Glückstadium esset missus.

ANno 1658. d. 13. Junii præviâ iterum requisitione Domin. Residentis Mölleri Ego & Liberrus Wouters Glückstadii inter horam decimam & undecimam pomeridianam S. R. M. Daniæ Campi-Marefchallum Generalem Dominum Ebersteinium convenimus, eique inscriptas Credentiales obtulimus, quibus resignatis perlectisque, præmissis præmittentis recensuimus: Excell. Suae in recenti memoria hæere, quid præterita die Jovis, 10. hujus mensis, ob duas istas naves atque merces per Henricum Carloffium ex Guinea huc allatas actum & perfectum sit. Cum verò interea temporis à fide dignis relatam fuerit, dictum Carloffium clam se subduxisse, & credibile esse, ipsum maximam allati auri partem secum abussisse; & non solum S. R. M. Sueciæ in Guinea sita munimenta, præviâ S. R. M. Daniæ Commissionem, à Carloffio occupata, sed & insuper omnia illinc ablata mobilia, sive sint naves sive merces, virtute articuli XI. Pactorum Roschildensium.